



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Instructio practica ...

De Horis Canonicis Juxta Rubricas Breviarii Romani ritè recitandis - In qua etiam ipsæ Rubricæ Notis brevibus illustratæ, & Martyrologij Romani nomina suis Accentibus signata continentur, Ad Faciliorem Discentium Vsvm Ac Praxin

Lohner, Tobias

Dilingæ, 1676

§. 7. De Responsorio brevi, & Versiculis.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-48333](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-48333)

II. Capitulum Feriale *Pacem* dicitur in omnibus Feriis, & simplicibus Vigiliis extra tempus Paschale, excepto Triduo ultimo Sacrae Hebdomadae.

III. Semper clauditur per *DEO gratias*.

§. VII.

De Responsorio brevi, & Versiculis.

I. **H**Oc Responsorium semper dicitur, excepto Triduo ante Pascha, & ipsa Octava Paschatis, usque ad Dominicam in Albis exclusivè.

II. Dicitur autem eodem modo in omnibus Officiis, nisi quod loco Versus *Qui sedes* nonnunquam alius substituitur, prout in Rubricis §. 28. n. 3. notatur; ipsum verò *Gloria Patri* à Dominica Passionis usque ad Pascha in Officio de Tempore omittatur. Concurrentibus duobus Versibus propriis, altero ratione temporis, altero ratione Festi, ut in Conceptione B. Virginis intra Adventum, præferri debet ratio Festi, & eius Octavae.

III. Tempore Paschali adduntur duo Alleluia ante primum Versum, eaque iterum pro repetitione partis Responsorii repetuntur, eo ferè modo, qui in Dominica in Albis indicatur. Extra tempus Paschale non additur Alleluia, etiam si in aliquo Festo propter Solemnitatem in aliis minoribus Horis Alleluia adderetur, uti in Festo Corporis Christi videre est.

§. VIII.

De Precibus.

I. **P**reces Dominicales dicuntur semper, exceptis Festis duplicibus, biduo ante Pentecosten, & triduo ante Pascha, & diebus infra Octavam; hinc omittuntur etiam preces, si Dies Octava in Dominicam cadat privilegiatam. Gavant. *sect. 3. c. 8. n. 13.* tametsi de Octava tantum facta sit Commemoratio.

II. Preces Feriales dicuntur tantum in Feriis Maioribus & Vigiliis, quæ extra tempus Paschale sub ritu simplicis, in Prima & aliis parvis Horis celebrantur; unde nec in Vigilia Nativitatis, Epiphaniæ, Ascensionis, Pentecostes, nec in Feria II. Rogationum, aut quarta, & sexta Feria & Sabbato